



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XVII. Explicatur prima prærogatiua S.Petri, ex mutatione nominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

care, & qui etiam reprehensuri erant factum Petri, si Corne-  
lio prædicasset, quemadmodum postea fecerunt, Actor. II.

Vt ergo haberet Petrus optimam rationem satisfaciendi  
eiusmodi reprehensionibus, Deus ei hanc visionem ostendit,  
vt rectè explicat C H R Y S O T O M V S homil. 42. in Matth.  
Aliorum, inquit, gratia hoc dicebat, Et satisfactionem ad  
accusantes prepararet. Et in commentario huius cap. 10. A ct.  
Nunquid Petrus, inquit, timuerat comedere? Absit, sed dicit  
diuina dispensatione totum hoc factum esse propter eos, qui  
ipsum erant reprehensuri.

## C A P V T X V I I .

Explicatur prima prærogatiua S. Petri ex mu-  
tatione nominis.

A C T E N V S attulimus quæ ad promissionem, &  
institutionem primatus Petri pertinebant: nunc  
ad eiusdem primatus confirmationem singula-  
res variasque prærogatiuas Petri in medium ad-  
feremus. Id verò eo libentius facimus, quod M A G D E B U R-  
G E N S E S Centur. I. lib. 2. cap. 10. col. 558. & sequent. diligenter  
enumerare studuerint quindecim peccata, atque horrendos  
lapsus (vt ipsi loquuntur) S. Petri, quæ diuino consilio in di-  
uinis literis extare dicunt, ne nimis multum Petro tribua-  
mus.

Et quanquam excepta Christi negatione, quam grauissi-  
mum peccatum fuisse, negari non potest, cetera quatuorde-  
cim non B. Petri horrenda peccata, sed Magdeburgensium  
horrenda mendacia, & blasphemiae sunt, vt postea demon-  
strabimus; interim tamen pro XIV. falsis criminibus adfera-  
mus nos XXVIII. veras prærogatiuas.

P R I M A igitur prærogatiua est mutatio nominis: nam Io-  
annis 1. ait Dominus Petro: Tu es Simon filius Iona: tu voca-  
beris Cephas. Vbi obseruandum cum C H R Y S O T O M O in  
hunc locum, Deum nunquam imponere noua nomina, nisi  
maximis de causis, & ad significanda priuilegia concessa eis,  
quibus nomina mutantur. Ita Abraamum, cùm diceretur  
Abrā, id est, pater excelsus, dici voluit אַבְרָהָם Abrahām,

ii 2 id

id est, patrem multitudinis Gen. 17. vt eo nomine significaret hominem illum, qui iam senex erat, & vxorem anum, & stem habebat, tamen ex dono Dei sic immutandum, vt ficeret pater plurimorum filiorū, vel potius gentium, & populorum.

Est autem duplex prærogatiua in hac mutatione nominis Simonis in nomen Petri. Una, quod soli Petro ex omnibus Apostolis nomen mutauerit. Nam etsi Marc. 3. imposuit nomen filii Zebedei, Boanerges, tamen fuit illud potius quoddam cognomen, quam proprium nomen. Itaque nusquam postea ab Evangelistis vocantur Boanerges, sed tantum Iacobus & Ioannes, vt antea vocabantur. At Petrus deinceps sibi semper vocatur Petrus. & Paulus Galat. 2. Petrum saepè nominat, & nunquam aliter quam Petrum aut Cepham, quod est idem; Ioannem autem saepè quidem nominat, sed Ioannem perpetuò, nunquam Boanerges.

**ALTERA** est, quod tale nomen ei dederit. Nam Syriac Cephas significat petram, vt nos supra docuimus, & Hieronymus testatur in cap. 2. epist. ad Galat. Græcè autem significat caput, vt lib. 2. contra Parmenianum annotauit Optatus. Ac demum unum est ex celeberrimis Christi nominibus. nihil enim frequenter in Scripturis Christus appellatur, quam petra. vide Isaia 8. & 28. Daniel. 2. Psal. 117. Matth. 21. Rom. 1. Cor. 10. Ephes. 2. 1. Pet. 2. & alibi. Christus ergo cum solo Petro suum ipsius nomen comunicans, & nomen illud quo ipse significatur, vt fundatorem & caput Ecclesiæ vniuersitatem, quod aliud indicare voluit, quam se facere Petrum fundamentum & caput Ecclesiæ loco suo?

Itaque rectè B. Leo epist. 89. ad Episcopos Viennensis provinciæ: *Hunc, inquit, in consortium individualis unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo; Tu es Petrus, Et cetera.* Et serm. 3. de anniversario die assumptionis suæ ad pontificatum, ita Christum loquentem ad Petrum introducit: *Sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita Et ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim in uiolabilis petra, ego lapis angularis, quis facio etra que unum, ego fundatorem prater quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petræ es, quia mea virtute solidaris, Et que mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

CAPVT